

riente, commotiones! Non poenitebit MIRANDVLANVM (6) gravem in primis, ac pium harum rerum iudicem in partes advocasse, cuius egregia sunt verba: *Illud certe non uni tantum aut paucis hominibus, sed orbi universo admirationi maxime fuit in defectu luminis Dominicae passionis tempore, quod soli praeter solitum coeli cursum, praeter debitum congressonis temporis, luna coniuncta sit, & per horas plures supra solis diametrum, (rem iterum stupore plenam) obstat: & quod mirabilius multo, ab oriente digressa, & ultra mediam coeli regionem ad congressum evecta, iterum ad orientem resiliuerit: quod & Dionysius Areopagita & Apollonphanes in Heliopoli diligentissime observarunt.* Cogita nunc, quanta sit maiestas Dei illius, qui in crucem actus est, quam omnes coeli tremunt atque exhorrescent.

§. II.

Sed quorsum haec omnia? Ut in coelis ac terris significarent, nunc V. T. morte Christi determinari abrogarique, ac novum stabiliri regnum Christi immotum, nullo amplius coeli terraeque motu redeunte unquam abrogandum. Multus est in hoc argumento pro veritate religionis Christianae deducendo Paulus in segmento vicesimo septimo. Repetit ibi verba ex Haggaeo שׁוֹר אַחֲת tantum semel adhuc, quibus deinde argumentum illud insigne superstruit. Verba integra in Haggaeo sic fluunt הִיא טְבֵל אַחֲת שׁוֹר semel adhuc, & quidem brevi tempore. Posterius omittit Apostolus, quod non ulterius opus erat designatione temporis, quod iamiam adebat, vel potius haud ita pridem fuerat. Caeterum ea temporis notatio in sanctissimorum vatuum codicibus haud quidem paucorum annorum numerum indicat, sed integrorum saeculorum, quae inter eam & Christi aetatem intererant. Temp-

C 3

pus

(6) I. c. pag. 164.